



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE OPTIME QUIDEM SANCTUARIUM BEATAE MARIAE VIRGINIS DOLOROSAE IN URBE LIMANOWA

SITUM TARNOVIENSIS DIOECESIS BASILICAE MINORIS TITULO HONESTATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Optime quidem sanctuarium Limanowiense novimus, ubi pientissime caelestis Mater colitur, cuius signum magna cum animi affectione olim coronavimus, simul in Virginem Mariam demonstrantes dilectionem, simul in eiusdem auxilium fiduciam. Quam propter causam libentes sane occurrendum duximus precibus Venerabilis Fratris Iosephi Zycinski, Episcopi Tarnoviensis, qui tum sua tum suorum fidelium ostendens optata, a Nobis poposcit ut Sanctuarium Beatae Mariae Virgini Dolorosae dicatum, quodque in urbe invenitur Limanowa, intra fines scilicet ipsius dioecesis, in Basilicarum Minorum catalogum referretur. Itaque ea comprobantes quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit, Apostolica Nostra usi auctoritate, Sanctuarium quod supra memoravimus ad dignitatem evehimus et Basilicae Minoris statum, concedentes pariter iura ac privilegia quae ad id genus templa spectant. Serventur porro quae in Decreto continentur «de titulo Basilicas Minoris», die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX, foras emisso, contrariis rebus quibuslibet minime obsistentibus. Ceterum quemadmodum haud semel et Nos antea fecimus, optamus ut quam frequentissimi posthac fideles ad clementem Deiparam huc decurrant, filialem amorem significaturi fidenterque superna beneficia petitori. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Maii, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.* ANGELUS SODANO, archiep.

Prosecretarius Status © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana